

Questio Unica

Conclusio prima nulla est mutatio per se ex non subiecto in non subiectum: sed bene per accidens primum patet: quia omnis mutatio est inter contraria vel contradictoria: ergo semper oportet alterius extremorum esse posituum et alteri oppositum: sed duo predicti termini non opponuntur: secundum primum: quia quod ex albo fit nigrum tunc per accidens ex non nigro fit non albu. Ex hoc sequitur quod tamen sunt tria genera mutationis per se: quia quartum membrum superius tactum non est mutatio per se.

Secunda conclusio generatio non est motus probat philosophus duabus rationibus: prima quia quod simpliciter non est non potest moueri: sed quod generatur simpliciter est non ens: ergo non mouetur.

Ad manifestationem autem prime propositionis dicit philosophus quod non ens dicitur tripliciter: primo secundum compositionem ut falsum: secundo ens in potentia: tertio modo non ens secundum quid et sic albu dicitur non ens quia est non nigrum et solus istud non ens potest moueri per accidens: quia est in subiecto quod mouetur.

Sed nonne ex non ente fit aliquid per se dicit sanctus Thomas. Et sic nichilominus tamen illud quod fit simpliciter non est.

Secundo omne quod mouetur est in loco: sed quod generatur non est in loco: quia non est igitur. Maior patet quia motus localis est primus: ergo omne quod mouetur: mouetur secundum locum ex quo sequitur quod corruptio simpliciter non est motus: quia motus contrariatur motui. Secundo sequitur quod sola mutatio de subiecto in subiectum est proprie motus. Tertio sequitur quod motus non est per se in predicamento substantie. Unde motus esse per se in aliquo predicamento nichil aliud est quam formam illius predicamenti acquiri in aliquo subiecto per motum cuius est per se terminus: quia motus est actus imperfectus cuius perfectio est terminus eius ad quem unde motus ratione sui termini est in predicamento licet ergo per motum albefactionis acquiratur similitudo tamen ad similitudinem non est per se motus: quia non est per se terminus albefactionis.

Notandum preterea ad hoc quod in aliquo predicamento sit per se motus oportet quod ibi reperiantur forme contrarie: quia motus est fluxus continuus de vna forma contraria ad aliam secundum intentionem vnius et remissionem alterius. Et ideo motus non est in genere substantie: quia substantie nichil est contrarium. Sed hic mouet sanctus Thomas. Dubium quia secundum philosophum secundo de generatione ignis est contrarius aque et primo libro de celo dicitur quod celum non est generabile: quia non habet contrarium: ergo substantia generabilis habet contrarium. Respondet alexander quod substantia contrariatur alteri secundum formam et non secundum subiectum: sed tunc in substantia posset esse motus. Alii dicunt quod ignis contrariatur aque secundum qualitates actiuas et passiuas tantum. Sed contra proprie passiones causantur ex principis subiecti ergo si qualitates contrariantur principia contrariabuntur: scilicet materia et forma: quia contrariorum sunt contrarie cause. Item. 10. methaphisice probatur quod omne genus diuiditur per contrarias differentias differentie autem sumuntur a formis: ergo in formis substantialibus est contrarietas. Dicendum quod ibi est aliquomodo contrarietas secundum quod vna differentia excludit aliam vel excellit eam: sed hoc non sufficit ad motum sed preter hoc requiritur quod ille forme que sunt contrarie maxime dissent et quod ab vno venia

Articulus Primus.

tur in aliud per media per motum continuum secus dum intensionem vnius forme et remissionem alterius et manifestum est quod hoc est in substantia. Si dicatur in quantitate et in loco non reperitur maxima distantia dicendum quod in specie animalis est dabilis minima quantitas et aliqua maxima ad quam terminatur motus augmenti et ita dicatur de loco respectu motus localis.

Tertia conclusio in ad aliquid non est per se motus patet quia relatio potest reperiri in aliquo non mutato de nouo: sed mutato altero ut germanus fit similis iohanni per hoc quod iohannes fit albus sicut est germanus. Sed queritur quomodo est possibile quod germanus nunc habet similitudinem quam prius non habuit et tamen non est mutatus. Respondet sanctus Thomas. le. 3. quod si aliquis per suam mutationem efficiatur michi equalis me non mutato ista equalitas primo erat in me quodammodo sicut in sua radice ex qua habet esse reale ex hoc enim quod habeo talem quantitatatem competit michi quod sim equalis omnibus his que habent eandem quantitatatem. Cum ergo aliquid de nouo accipit illam quantitatatem ista communis radix equalitatis determinatur ad istum et ideo nihil aduenit michi de nouo per hoc quod ego incipio esse alteri equalis hec ille. Sed contra aduenit sibi relatio dicendum quod ille qui prius fuit pater nato secundo filio per primam paternitatem refertur ad istum: sed ponamus quod non fuerit pater nonne tunc aduenit sibi aliquid reale.

Contra predicta arguitur probando quod motus siue mutatio sit subiective in specie vel in forma secundum quam fit motus: quia motus est fluxus quidam sed fluxus est in forma fluente: ergo motus est subiective in forma vel in specie. Item motus est subiective in eo quod mouetur: sed forma est id quod mouetur quia est id quod continue variatur de esse in perfecto ad esse perfectum: ergo motus est subiective in forma secundum quam fit motus.

Secundo arguitur quod non sola mutatio que est de subiecto in subiectum sit motus proprie dictus: quia in omni motu debet manere idem subiectum sub utroque terminorum: alias motus non esset vnus. Et si semper maneat idem subiectum sequitur quod talis motus non est de subiecto in subiectum: et per consequens mutatio de subiecto in subiectum non est motus.

Item sicut se habet subiectum ad subiectum ita non subiectum ad non subiectum ergo si sit motus de subiecto in subiectum erit motus de non subiecto in non subiectum: ergo non sola mutatio de subiecto in subiectum erit motus.

Tertio arguitur quod in substantia et ad aliquid sit per se motus: quia forma substantialis prius inducitur in vna parte materie quam in alia: quia non est possibile materiam secundum quolibet sui partem subiecti equaliter virtuti agentis: ergo generatio est mutatio successiva et ita est motus. Item forma substantialis est insensibilis: ergo acquisibilis per motum: antecedens patet: quia vnus ignis est calidior alio: ergo oportet in forma a qua est calor esse diuersitatez. si dicatur quod hoc prouenit a contrario impediente. Contra secluso impedimento vnus ignis est calidior: sed maior si dicatur quod calor non est a forma ignis: sed se habet tantum passive. Contra omnis potentia passiva est potentia contradictionis. 9. metha. ergo ignis posset esse frigidus. Item omne quod mutatur partim est in termino a quo et partim in termino ad quem sexto